



1020
2100
1787, 6
No. 1094.
1787, 6
17
IOANNES FRIDERICVS GVILIELMVS SCHLEGEL
HAFNIENSIS

DE EO, QVOD IVSTVM EST
CIRCA EMIGRATIONEM CIVIVM.

COMMENTATIO

QVAM

IN CONCERTATIONE CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

IV. IVNII MDCCLXXXVII.

AD PRAEMIVM ACCESSISSE CENSVIT

ORDO IVRECONSVLTORVM

Fas mihi non habiles et fas tibi linquere Colchos.

Valerius Flaccus Argonautic. l. 7. v. 232 edit. Harlesf.

GOETTINGAE,

Typis FRIDER. ANDR. ROSENVSCH.

ACAD. TYPOGR.

JOHANNES FREDERICUS GÖTTIOWITZ SCHLEIER
HABERMANN
DE EO, QUOD IUSTVM EST
CIRCA EMIGRATIONEM CIVIVM

COMMENTATIO

QVAE

IN CONGRATULATIONE CIVIVM

ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

IV IANVARI MDCCLXXXVII

AD FRATREM ACESSITTE CENSITTE

ORDO IRRECONSVNTIVM

Das Buch ist nicht mehr in der Bibliothek der Universität Göttingen.
Verbleibende Exemplare sind zu verkaufen. J. 2007. 2008. 2009.

GOETTINGAE.

Typis THOMAE ANDREAE ROSENBERGERII

ACADEMIAE



§. I.

Prooemium.

Quamvis in plurimis, imo in omnibus juris naturalis quaestionibus in diversas partes abeant hujus scientiae doctores, nulla tamen fere magis hoc fatum sortita est, quam ea, an et quatenus emigrationem civium prohibere vel limitibus circumscribere fas sit? Quibus juris naturalis scientia curae cordique, iis fatis superque est cognitum, quam varie hac de re sentiant BODINVS, GROTIUS, PUFFENDORFIUS, HUBERVS, WOLFIUS, BÖHMERS, MARTINVS, FEDERVS, CELLA, et quotquot sunt reliqui in hac litterarum parte clarissimi viri, adeo ut ex magno horum numero fere reperiatur nemo, qui pari cum alio via incedat. Neque hic dissensus inter solos philosophos versatur, sed aequae magnus inter leges et instituta variarum civitatum jam inde ab antiquissimis temporibus ad nostram usque aetatem occurrit. Quam longe olim Atheniensium ¹⁾ et Romanorum

¹⁾ Athenis, referente Platone, cuius privato integrum erat examinare leges et consuetudines reipublicae, et, si eas e re sua esse non putaret, cum omnibus bonis, quo vellet, secedere; imo delicti convictus antelatum sententiam supplicio etiam ultimo emigrando se eripere poterat; quod concedebatur, quia tantus amor patriae in animis hominum vigebat, ut mori potius, quam illam relinquere dubitarent, imprimis cum aegre in aliis civitatibus civium numero adscriberentur, quippe quae in

rum ²⁾ leges in hoc capite ab Argivorum ³⁾ institutis discrepant? quantum quoque inter leges gentium Europaeorum in ea re intercedit discrimen? ⁴⁾ imo quanta in ipsa Germania statutorum hoc nomine obtinet diversitas ⁵⁾? Talis tantaque doctorum

tanta hominum multitudine magis de numero civium minuendo quam augendo sollicitae essent. Plato in Critone.

²⁾ Cic. pro Balbo c. 12. — — „cum ex omnibus civitatibus via sit in nostram, cumque nostris civibus pateat iter ad caeteras civitates — — et paullo post c. 13 idem: „O jura praeclara atque divinitus jam inde a principio Romani nominis a majoribus nostris comparata — — ne quis „invitus civitate mutetur, neve in civitate maneat invitus. Haec sunt „enim fundamenta firmissima nostrae libertatis sui quemque juris et retinendi et dimittendi esse dominum“. I. 12. §. 9. de capt. et postlim. habentur haec verba: — — „quia (ut Sabinus scribit) de sua (qua additur in contextu ex recensione Dionysii Gothofredi; cod. Hal. habet *quaque*, sed utrumque non recte se habere videtur) „civitate cuique constituendi „facultas libera est: non de domini jure.“ Haec quidem libertinos proprie tangunt, sed quod de his valet, hoc, ubi de beneficio juris agitur, multo magis de ingenuis valebit. Neque erat verendum, quod emigrationi manumissorum obstare poterat, ne eo patronorum jura laederentur. Ratio denique legis tam late patet, ut dubio nullus locus detur, quin ingenui eodem jure uti sint. cfr. quoque §. 5. l. c.

³⁾ Ovid. Met. l. 15. v. 28. 29. de Argivis: — — Prohibent discedere leges Poenaque mors posita est patriam mutare volenti.

⁴⁾ Bodinus in libro primo operis de republica cap. 6. hac de re potissimum adeundus, cum pro more sui temporis magis in eo fuerit, ut rem exemplis illustraret, quam proprium adferret iudicium. cfr. Real Science du Gouvernement T. 4^e p. 538 - 46.

⁵⁾ De eo, quod ex jure publico Germanico circa emigrationem fas sit, egit: J. G. Heyd Diss. de jure emigrandi in Germania Stuttgartiae 1775. cfr. Cel. Pütteri Institutiones juris publici Germanici §. 368 edit. 3^e.

rum virorum aequae ac legum civilium discordia hanc quaestionem tam perplexam reddidit, ut difficillimum sit statuere, quaeenam sententia alteri sit praefenda, aut quid cuique earum forte veri quidque falsi insit; ego certe de vero meis viribus eliciendo statim desperassem, nisi aliquid majus aliquando audendum, et difficultatibus, quo majores sunt, eo fortius occurrendum esse existissem.

§. II.

Finis et limites hujus dissertationis.

Antequam vero ad ipsam disquisitionem progrediar, operae erit pretium paulo accuratius definire quo sensu hic *emigrationis* vox sit accipienda, cum in hac ipsa descriptione dissensus doctorum virorum haud levis appareat.

Emigratio civis est factum, quo quis ex ejus civitatis territorio, cujus civis hucusque fuit nullo revertendi animo alio se confert.

Itaque meum hic non est de jure emigrandi aliorum, quam civium, qui proprie tales dicuntur, disserere. *Incolae* sive peregrini illi, quibus et habitare et rem suam agere in aliena regione conceditur, onera quidem civitatis plerumque ferunt, sed non peculiaribus ejusdem gaudent beneficiis, quare revera cives non dicendi sunt. Multo minus caeteri peregrini, sive *advenae*, civium nomine designandi, quamvis hi quoque cives temporarii appellari soleant. *Cives* autem tantum sunt, qui tanquam membra civitatis, saltem illis, quae sibi ipso societatis civilis contractu primaevio stipulati sunt, emolumentis in onerum tolerandorum compensationem fruuntur.

Deinde neque illi cives, qui declarant se non diutius civitatis membra futuros et nihilominus in ejus territorio permanent, quemadmodum medio aevo ab iis factum esse, qui arma contra patriam capessiebant, accepimus ^o); nec ii quoque qui animo in patriam revertendi peregrinantur, revera emigrant, adeoque nullus de iis hic differendi locus.

Neque magis eos cives respiciam, qui alicujus delicti rei aut alio quocunque dolo malo e civitate emigrare conantur, cum factis sit expeditum, eos tanquam subditos immorigeros et turbulentos jure ad remanendum cogi posse, ut poenam, quam pravis factis meruerant, sustineant et a damno civitati inferendo arceantur.

Facile porro intelligitur, hic non de illis esse agendum, qui civitatem consentiente imperante relinquunt, cum haec res sit adeo manifesta, ut ulteriori non egeat disquisitione, licet ex communi usu loquendi, cui meam emigrationis definitionem accommodare studui, etiam hi emigrantes dicantur; sed modo eorum rationem esse habendam, qui patriae finibus sine consensu imperantis excedunt.

Vix

^o) Hac de causa mihi ea emigrationis definitio, quam attulit clarissimus CELLA, quod esset: *der Schritt, durch den Bürger eines Staats ihre bisherige Verbindung mit ihrem Vaterland aufgeben*, si illa ex hodierno loquendi more dijudicanda est, nimis laxa videtur. vide ejus *freymüthige Aufsätze 3tes Bändchen Anspach 1785* et quidem dissertationem primam hujus libri, quae inscribitur *über Auswanderungssucht und Auswanderungsfreyheit der Deutschen* S. 5.

Vix denique opus est, ut moneam, hoc unum hic quaeri, num subditi foro externo ad id obstricti sint, ut in civitate permaneant? non vero an emigrando minus honeste agant?

§. III.

Ordo et institutum hujus dissertationis.

Quid de ipso emigrandi jure sentiendum sit, id non nisi ex contractu primitivo, quo omnis societas civilis ninitur, colligi posse satis est in promptu, cum hic unus sit fons, ex quo omnia jura et obligationes subditorum et imperantis fluant. Quae cum ita sint, optima totius hujus disquisitionis norma videtur et naturae rei maxime consentanea, ut primum inquiratur, *num implicita quaedam pacto ipsi fundamentali insit conditio non emigrandi?* deinde *quid statuendum sit, si disertis verbis huic juri renunciaverint homines?* porro, *num hac majorum cessione posterum illorum quoque teneantur?* et denique *quid de variis istis, quae emigrationem concessam etiam restringere soleat, vinculis excusandum sit?*

Caput primum.

§. IV.

Quaedam de societatis civilis origine et natura pacti unionis, quae ad sequentia illustranda faciunt.

Societatem civilem, si legitima ejus origo quaerenda est, non posse non pacto quodam fundari, jam viderunt philosophi antiquissimi. Nam vi ab initio nullam condi posse civitatem facile intelligitur, cum ad id unius hominis vires auxilio aliorum defuiti

stituti minime sufficiant, aut si vel hoc (de quo tamen valde dubito) sola vi effici possit, ejusmodi societas tamen (nisi subactorum liber consensus, isque vel expressus vel tacitus, postea accedat, et hoc modo ea legitima fiat societas, quae ab initio talis non erat) non civitas sed herilis societas dicenda sit 7). Sententia vero ea, qua civitates metu ortae sunt, quam absorta sit pluribus ostendere supersedeo, cum id jam a clarissimis viris nostra aetate factum sit; in eo potius opera mea versabitur, ut natura pacti unionis penitus cognoscatur.

Pactum unionis ita accipiendum esse existimaverim, ut eo singulorum voluntas voluntati totius universitatis subjiciatur. Qui illud aliter definiunt, hi aut pactum cum nuda pollicitatione confundunt, aut plura fingunt pacta, quam ad civitatem legitime constituendam requiruntur. Alii illud, quod nobis pactum unionis est, pactum subjectionis vocant; nec ego dissentio, modo ab eo pacto subjectionis distinguatur, quod obtinet, ubi imperium

7) Satis superque notum est acutissimum Hobbesium, et in libro de cive et in eo, qui Leviathan inscribitur, id inprimis egisse, ut ostenderet originem omnium civitatum ex metu esse repetendam, ut eo facilius suo principi imperium nullis legibus adstrictum competere evinceret. Ipse tamen intellexisse videtur, leoniam illam, quam excogitaverat, societatem civilem non satis firmo niti fundamento, quare eam pactis munire frustra conatus est. vid. *Moses Mendelssohns Jerusalem* in exordio coll. ROUSSEAU du Contrat social I. I. ch. 3, 4 et 5. Qui hanc civitatum originem adhuc defendunt philosophi, eam potissimum historicis argumentis corroborare conantur, quasi ex facto quodam ad jus colligere liceat. Historia, ni vehementer fallor, non ad veritates philosophicas demonstrandas abutendum est, licet summa ejus in vero inveniendi illustrandoque utilitas negari nullo modo possit.

perium a populo ad unum vel plures defertur. Nam in veris democratiis, hoc est, in iis civitatum formis, ubi majestas in universo populo residet, ejusmodi pactum subjectionis stricte sic dictum locum habere non posse videtur; a qua sententia ipse PUFENDORFIUS non plane abhorruit ⁸⁾. Cum pacto unionis omnis societas civilis nitatur et amplitudo jurium, quae pacto subjectionis ad principem delata sunt, quatenus haec disertis verbis non sunt definita, ex indole pacti unionis quoque dijudicanda sit, facile intelligitur, ex limitibus huic propriis tuto ad illos colligi posse, qui in omni civitate cujuscunque formae obtinere debent. Cum pacto unionis imperium revera in totam universitatem translatum sit, nihil impedit, quo minus voce imperantis pro universitate in hac dissertatione utar.

Ut indoles pacti unionis eo melius illustretur, paucis videndum est, quaenam jura sibi ea lege reservaverint homines, cum in societatem civilem se contulerunt, ut potestati imperantis non nisi urgente necessitate obnoxia essent. Horum utique jurium

⁸⁾ Verba ejus memoratu dignissima, quippe quae ab ipso auctore ejushypotheseos de necessitate duorum pactorum et unius decreti intermedii ad civitatem formandam proficiscantur, haec sunt: "Illud fortasse non inepte urgeri posset; inutile fore tale pactum inter populum imperantem et cives parentes, quod eo ipso, dum quis in formam democraticam consentit, suam quoque voluntatem voluntati majoris partis intelligatur subjecisse; simulque jam cuivis per amorem sui rerumque suarum sat necessitatis videatur injunctum bono publico pro virili invigilandi, cui ipso quoque salus est innexa. Nihilominus etsi fortasse in democraticis non ita necessarium est &c. vid. de jure naturae et gentium l. 7. c. 2. Quae addit, ut evincat pactum saltem tacitum subjectionis hic etiam adesse, mihi quidem minus fecerunt satis.

limites a philosophis nondum satis accurate sunt descripti, qua ratione motus nuper clarissimus HUFELANDIVS ⁹⁾ peculiarem aliquam desideravit scientiam, in qua eorum jurium ambitus melius, quam hucusque factum est, definiretur et his fundamentis regulae circa limites potestatis leges ferendi supremae superfruerentur. Quantum tamen rem per se satis difficilem in tanta obscuritate perspicere possum, ea jura, quae etiam in statu civili salva et illaesa manere debent, ad sequentes potissimum classes referenda existimaverim:

I. *omnia jura absoluta s. connata*, ad quae inprimis pertinent vitae conservatio ¹⁰⁾, immunitas ab omni laesione, quae

⁹⁾ vide *Versuch über den Grundsatz des Naturrechts nebst einem Anhang von Gottlieb Hufeland Leipz. 1785.* et quidem pag. 288 sq. Ex toto acutissimi viri consilio intelligitur hanc, quam commendavit, scientiam principia juris, quod privatam universalem vocant, complexuram.

¹⁰⁾ Homines nullam corpus suum laedendi, multo minus vita ipsa privandi potestatem imperanti pacto sociali contulisse, inde perspicitur, quod nemo, quae ipse non habet, ea alii dare possit. Singuli quidem polliciti sunt, civitatem adversus internum vel externum pacis turbatorem defendere, sed hoc tamen non ita intelligendum videtur, quasi eo ad certam et inevitabilem mortem pro patria oppetendam teneantur, cum vitae conservatio sit finis praecipuus, quem sibi in civitate condenda proposuerunt. Quidquid sit subditi hoc onus pro praesenti Europae statu tributis redemerunt, cum ea solvant, ut mercenarii milites suo loco pro civitate pugnent. Jus vitae et necis, quod imperanti in gravissimi criminis reos competit, non aliunde derivandum esse crediderim, quam ex renunciatione juris puniendi naturalis, ejusque in imperantem translatione a singulis facta. Hinc quidem sequeretur, non alia delicta poena corpore afficiente esse coercenda, quam quae etiam in statu natu-

corpus vel existimationem concernit, libertatis civilis nulla temeraria deminutio et liberum religionis civitati innoxiae exercitium.

II. *ea jura hypothetica, quorum gratia civitatem inierunt homines*, nimirum securitas uxori, liberis, totique familiae praestanda, et bonorum juriumque iusto et legibus cujusque civitatis convenienti modo acqvisitorum non turbata possessio.

Haec omnia, ni fallor, ab hominibus civitatem primum inuentibus sibi esse reservata apparebit, si ad eam normam examinentur, omnes emolumentis civitatis cum minima, quantum fieri poterat, libertatis juriumque naturalium jactura frui, hoc est, summum bonum parvo pretio sibi comparare voluisse. Meum hic non est prolixius haec ostendere, cum id angusti hujus dissertationis limites non ferant. Hoc modo addam, ut erroris criminationi obviam eam, his, quae supra laudavi, singulorum juribus non derogari posse, nisi in casibus extra ordinem, ubi alia securitati civitatis prospiciendi ratio non relicta est. Insoliti enim casus insolita gignunt jura. Attamen etiam in his mihi haec regula omnino servanda videtur, ut ratio ejus habeatur, num sit existimandum eos, qui se in civitatem contulerunt id

volu-
naturali tali poena affigi poterant; sed tantum abest, ut in civitatibus ejusmodi poenae augeantur necesse sit, ut in iis, quae bene administrantur, vel minui possint. Quae circa poenam capitalem abrogandam in regno Borussiae et iis provinciis, quae ditioni domus Austriae subsumunt, peracta sunt, et maxime constitutio criminalis in Archiducatu Florentino novissime promulgata, luculenter demonstrant, quid clemens et sapiens imperium hoc nomine efficere valeat. cfr. omnino CHRISTOPH. FRID. SCHOTT Diss. juris naturalis T. I. Erlangae 1784. p. 148-180.

voluisse, ut hoc vel illud suorum jarium pro salute publica in casu extraordinario infringatur, quod ex eo potissimum dijudicandum est, si malum quod huic vel illi civi inde redundet non tantum sit, ut bonis societatis civilis aut perceptis aut postea percipiendis superari non possit, in quo quidem illa salutis privatae perpetuae et temporariae distinctio potissimum vertitur. Deinde ipsi, qui damnum tulit, illud, quantum fieri potest, a caeteris civibus compensandum est, cum multi ejusmodi onus longe facilius, quam unus ferant, et aequalitas in his omnino servanda sit. Itaque si v. c. domus diruatur, ut tota urbs adversus hostes fervetur, ejus possessori pecunia pro damno illato solvi debet. Quae cautiones si non ferventur, civitas in imperium despoticum commutatur, cum tristitia docuerint exempla, imperantes saepius sanctissima nomina ad pessimos fines obtinendos prae se ferre ¹¹⁾.

S. V.

Emigrationem tanquam minus jure majore jure, quod subditis competit, imperanti Tyranni instar facienti vi resistendi contineri.

Ex unanimi fere omnium nostri aevi jureconsultorum consensu populo competit jus bellum adversus Imperantes gerendi, qui

¹¹⁾ cfr. omnino PÜTTERI V. C. *Beyträge zum Teutschen Staats und Fürstenrechte* I Th. S. 351 u. f. Secus sentit Io. AVG. SCHLETTWEIN in *wichtigste Angelegenheiten für das ganze Publicum* I Th. S. 87 u. f. et in *ej. Ephemeriden der Menschheit* I Th. 7 Stück I und ff. S. und 2 Th. S. 64 ff. sed eum refutavit *Jacobus Beitrag zur Entwicklung des Rechts der höchsten Gewalt* 1783, adde *Deutsches Museum Septemb. 1786 über die Auf-*

qui se tyrannos professi fuerint, hoc est, si quis huic verbo ineffectus, si ea, quae dixi, jura omnium civium violaverint, nimirum bonos cives occidendo, vel vulnerando, iis uxores, liberos vel bona vi eripiendo, adeo ut caeteris eadem fors timenda sit, cum tunc status naturalis quasi reviviscat. Quod si verum est, singulis civibus, quorum jura pacto sociali reservata laesa fuerint, si non idem jus resistendi, saltem flebile *emigrationis* beneficium dandum est. Idem non potest non obtinere, si in justo timore versentur, fore, ut ab imperante laedantur.

§. VI.

Jus quoque emigrandi civibus esse, si non habeant, unde satis commode vivant.

Nec satis est jura ista ab imperante non violari, sed hic quoque prospicere debet, ut, quantum fieri possit, omnes cives bene fausteque vivant. Societatem enim civilem non solum non obesse hominibus, sed iisdem quoque prodesse debere, satis est expeditum. Nihil sane homines eo adducere potuit, ut ex statu naturali in civitates se conferrent, nisi iis major ampliorque felicitas, quam extra easdem erat expectanda, comparari posset. In iis civitatibus, quae barbarie depulsa ad cultiorem vitam evectae sunt, sine perpetuis turbis civilibus vix ac ne vix quidem vitari poterit, ne quidam homines caeteris ditiores potentioresque fiant, id quod maxime Lacedaemoniorum et Romanorum rerum gestarum monumenta confirmant; attamen omnes

Aufhebung des Majorats unter dem landständigen Adel von Dr. Adolph Fried. Heinr. Posse in prooemio.

omnes cives cujuscunque ordinis et conditionis suo jure postulant, ut saltem habeant, unde sine anxiiis curis vivant ipsi, eorumque, si quibus gaudeant, uxor et liberi. Quod si a civibus nulla via, ne indefessa quidem adhibita industria, comparari possit, his ex civitate discedere non potest non liberum esse, ne illa non in ipsorum commodum, sed perniciem condita videatur.

§. VII.

Ipsis civibus, non autem Imperanti in his casibus judicium de emigrandi jure esse tribuendum.

Neque imperanti in his casibus judicium competere potest, num jura ex statu naturali civibus relicta revera laesa sint, iisque sit unde vivant, nec ne? cum caeteroquin non melior foret eorum conditio et de libertate civili penitus actum esset; sed non potest non singulis civibus, cum hoc necessario ad alterutrarum partium judicium pertineat, libera facultas tribui de eo pro lubitu statuendi. Qui secus sentiret, nec tamen negaret jura quaedam civibus esse, quae ab imperante violari nequirent, hic affirmaret homines ea quidem jura pacto unionis servare voluisse, nec unum tamen, quo hoc fieri poterat, elegisse medium, nimirum emigrationem, sive eos idem voluisse idemque noluisse, quod quam sit absurdum nemo non videt. Si mihi datur in iis, quos hucusque recensui, casibus civibus emigrare liberum esse, multum in causa liberae emigrationis peroranda profeci, siquidem in his casibus longe plurimae et gravissimae rationes continentur, quae homines ad emigrandum impellunt. Eo praeterea, quod apud eos ipsos, qui patriam relinquere velint, de jure emigrandi sit judicium, id fere efficitur, ut ex civium arbitrio tota res pendeat.

§. VIII.

§. VIII.

Quid statuendum sit, si aliam rationem, quam supra allatas cur emigrent, cives adferant?

Quaeri tamen potest, quid statuendum sit, ubi aliam quamcunque causam praetendunt? num forte implicita quaedam pacto sociali insit conditio, qua subditi, si jura, quae sibi stipulati sunt, serventur et habeant unde vivant, in civitate permanere teneantur?

Ut haec quaestio accurate solvatur, ante omnia opus erit, ut ad finem, quem sibi in omni civitate homines proposuerunt, recurramus. Finis societatis civilis a causis, quibus homines moti illam formarunt, probe est distinguendus, licet haec plerumque mire confundantur. Ille tantum proprie ad jus naturae, hae ad historiam generis humani pertinent ¹²). Finis autem omnis civitatis est felicitas et quidem proprie et immediate ea, quae hac vita comparari potest. Quae felicitas eo potissimum obtinebitur, si non maior libertatis naturalis jactura fiat, quam ad eam, quam societas civilis praestare potest, utilitatem percipiendam opus est. Servi facti sumus legum, quemadmodum ait Cicero, ut liberi esse possimus ¹³). Hoc autem illud quoque mihi involvere videtur, jura et obligationes subditorum et imperantis mutua, quatenus illa ex indole pacti socialis intelligantur, illis quidem defectibus, qui omni civitati necessario insunt, non

¹²) cfr. ULRICH *Initia philosophiae Justii*. Jenae 1783. §. 474.

¹³) „Il est donc incontestable et c'est la maxime fondamentale de tout le droit politique, que les peuples se sont donné des chefs pour défendre leur liberté et non pour les asservir. Si nous avons un prince, dit Plin à Trajan, c'est afin qu'il nous preserve d'avoir un maître. ROYSSÉAU sur l'origine et les fondemens de l'inegalité des hommes.

non autem iis, qui inde potius proficiuntur, quod haec vel illa civitas aut male constituta sit aut male regatur, esse attemperanda. Forte etiam, si imperantes sibi non licere, effectum huius quasi interni morbi mediis externis retardare, intellexerint, eo fortius ad morbum ipsum tollendum impellentur. Sed, quod maximum est, nullum fundamentum satis firmum et stabile juris publici universalis, nisi hoc, excogitari posse videtur, cum vitia illa civitatum singularia omnino sint accidentalialia et fere innumera. Quod si ad hanc normam examinetur illa sententia, quam jam dudum proposuit b. BÖHMERS, Vir immortalis, homines, cum societatem civilem inierint, non ad id, ut semper in civitate perdurent, sed modo ad officia illi debita summa fide praestanda, quam diu ibi remanserint, se obstrinxisse, hanc a vero non aberrare intelligitur ¹⁴). Nemo non fatebitur causas emigrandi non omnibus civitatibus esse communes, sed modo iis proprias, quae vitis quibusdam singularibus laborant, quibus imperans mederi negligit. Civitates bene moratae, in quibus liber cuique exitus conceditur, subditis nihilominus abundant et exteri illuc laeti accurrunt, cum contra aliae, ubi cives durissimis vinculis solo annectuntur, illis desituantur. Nullo modo itaque verendum est, ne civitates ideo citius pereant, quod necessitas patrium solum non relinquendi civibus non sit imposita, qui vanus metus quosdam ab hac sententia amplectenda

¹⁴) vide I. H. BÖHMER Jur. publ. univ. l. 3. c. 2. §. 18 sqq. Varia quidem adversus hunc locum monuit clarissimus MARTINI in ejus *Lehrbegriff des Natür- Staats- und Völkerrechts* 3 Band Wien 1785. §. 281. sed, ut mihi videtur, minus apposite ad persuasionem.

avertit, cum potius, ut ait ingeniosissimus ROUSSEAU, eo diutius durent civitates, quo minus hunc finem prae se ferre videantur. Neque tam exigua commoda praestat societas civilis, ut metu potius quam beneficiis subditi sint retinendi, neque tam exigua patriae, laris et foci, cognatorum, amicorum, imo consuetudinis in animos hominum vis est, ut in alia potius civitate, quam in ea, in quam ob tot tantasque causas singulari amore feruntur, vitam agere velint. Haec autem omnia dulcissima et firmissima vincula, libertate emigrandi adempta, relaxantur, amor patriae, quo nulla societati civili utilior virtus, quique homines multo firmitus quam vis conjungit, paene extinguitur, et odium forte ejus loco generatur. Ita enim natura humana est comparata, ut, quod amare cogatur, hoc oderit. Pauci isti, qui nihilominus ex civitate bene morata forte emigrant (caeteras enim civitates non curat jus publicum universale) iis civibus, qui aliunde eo se conferunt, largiter compensantur. Jus enim invitis iis civitatibus, ex quibus emigrarunt, exteros adsciscendi cum jure civibus exitum e patria denegandi conciliari nullo modo potest. Nam si jus civitatis in cives suos perfectum esset, injuriae rea foret illa civitas, quae illud violaret, justaque eo bellum huic inferendi causa praerberetur. Cum itaque et singulis civibus et civitati in universum expediat, ut libertas emigrandi nullis ordinariè limitibus restringatur, nulla profecto excogitari potest ratio, cur sit existimandum, homines huic juri, cum in societatem civilem se contulerint, renunciasse, adeoque hoc unum modo relinquitur, ut statuamus, pacto sociali saltem implicite eam inesse conditionem, ut liberum sit cuique civitate emigrare.

§. IX. *Non nisi in casibus extremæ necessitatis imperanti jus emigrationem prohibendi esse.*

In iis quidem casibus, ubi nullo alio modo societas civilis fervari potest, quam ut civium emigratio prohibeatur, imperanti jus hanc eousque prohibendi, donec imminens periculum cessaverit, tribuendum videtur. Hoc jus necessitatis potissimum in bello obtinebit, si quidam cives patriam deserere non erubescant, cum eorum opera maxime eget, ut onus illam adversus hostes defendendi et forte plura gravioraque solitis tributa solvendi excutiant caeteraque, quae bellum sequuntur, mala vitent. Attamen etiam in hoc ipso jure exercendo modus aliquis servandus. Eos, ipso WOLFIO consentiente, vi retinere, quibus ea non suppetunt, quae ad vitam sustinendam necessario requiruntur, nec tamen eorum sublevare inopiam et inhumanum et civitati inutile foret. Si civis, qui patriam relinquere velit, alium hominem, armis ferendis aequè parem, civitati tali calamitate oppressae praestet vel huic alio quocunque modo damnum, quod ei emigrando adfertur, resarciat, hic suo jure postulat, ut ipsi emigrare sit liberum. Judicium autem de habilitate substituti, et de modo satisfactionis praestandae, non potest non imperanti competere ¹⁵). Ad ejusmodi casus necessitatis non ille referendus est, quemadmodum GROTIUS alique volunt, si civitas magno aere alieno prematur ¹⁶). Nihil sane foret libertati civili pernicio-

¹⁵) WOLFII jus naturae pars 8^{va} de imperio publico seu jure civitatis. Halae Magdeb. 1748. §. 406.

¹⁶) GROTIUS de jure belli et pacis I. 2. c. 5. §. 24. PUFFENDORFIUS de jure naturae et gentium I. 8. c. II. §. 3. et WOLFIVS §. 404.

ciosius, quam si statuatur eo, quod imperans aes alienum civitati contraxerit, de libertate singulorum civium, sine quorum consensu id plerumque conflatum est, actum esse. Verendum esset, ne quidam imperantes de salute publica minus, quam de sua potentia promovenda solliciti, hoc tam facile subditos nihil promeritos jugo inconcusso subjiciendi medium ambabus arriperent manibus. Deinde tantum abest, ut salus reipublicae, hac bene administrata et fide publica conservata, aere alieno impediatur, ut potius promoveatur, adeoque ipsa illa, cur emigratio prohibenda sit, ratio non adest ¹⁷⁾. Sed si vel maxime dederim, aes alienum civitatis malum aliquod esse, id fere perpetuum erit aut certe diuturnum, cum contra veri casus necessitatis semper supponant calamitatem mox transire, neque illam quasi ad statum solitum civitatis pertinere. Dubitari potest, an hoc jus necessitatis, ut itidem GROTIUS existimavit, obtineat, ubi multi gregatim discesserint ¹⁸⁾? Per se patet, id non hic ante oculos haberi, si aliqua civium pars de civitate deserenda conjuraverit, cum talis conjunctio rebellionis instar foret; sed tantum id respicimus, si haec multorum civium emigratio nulla praecedente conventionione fiat. Et haec quidem quaestio eo mihi dirimi videtur, ut, quod singulis licet, id quoque pluribus liceat necesse sit, idque eo magis, quo veri sit similis, eos veris malis ad emigrandum esse compulso.

Inde

¹⁷⁾ Egregie mira haec assertio illustrata est in MÖSERS *patriotische Phantasien 2ter Theil* Berlin 1778. p. 325-330. BÜSCH *Abhandlung von dem Geldumlauf 1ster Theil* Hamb. und Kiel 1780. p. 325-342.

¹⁸⁾ vid. GROTIUS loco supra laudato. Cum eo facit WOLFEIVS T. VIII. §. 408. Sed GROTIUM refellere studet PUFFENDORFIUS l. 8. c. II. §. 4.

Inde autem, quod imperanti jus competit cives in ejusmodi casibus etiam vi eo adigendi, ut in civitate remaneant, nemo colligere potest, civibus in universum haud fas esse e civitate discedere. Hic aequè erraret, ac si quis existimaret, homini hominem occidere licere, quia haec actio, alia ipsi suam vitam servandi ratione non relicta, legibus naturalibus est consentanea.

§. X.

Rationes illas, quae vulgo ex commodo aut incommodo societatis in universum petuntur, ad emigrationem civium evincendam vel refellendam minus facere.

Quaestio, num emigratio naturae societatis universum conveniat vel minus? eos, qui clarissimum hunc juris civitatis de emigratione locum sibi illustrandum sumserunt, valde sollicitos tenuit. Plurima autem, quae ad hanc quaestionem solvendam in medium allata sunt, argumenta, mihi potius ex jure Romano, quam ex jure naturali hausta videntur. Hoc enim profus singulare juri naturae accidit fatum, ut fere omnes, qui praeclarae isti scientiae operam darent, in jure Romano maxime versati essent; quo factum est, ut, quae in hoc occurrerent, ea mox quoque ad illud transferrentur, adeo ut dubium sit, an hoc juris Romani studium boni plus maline juri naturali attulerit. Ex hoc inquam fonte procul dubio fluxit illa regula in systemata juris naturalis, quasi e societate discedere liceret, ubi inde nihil damni caeteris sociis redundaret, nec hoc intempestive fieret. Distingendum potius erat inter societates voluntarias et necessarias, quarum illae vim obligandi ex pacto vel expresso vel tacito, haec ex lege accipiunt. De illis nihil aliud valere potest, quam

quam quod ex natura pacti in universum, ejusque in primis pacti, quo haec vel illa societas singulatim nititur, recte colligitur; unde etiam primum constabit an et quatenus societatem relinquere fas sit? Si societatis vero duratio ex solo commodo vel incommodo sociorum foret metienda, nihil omnino certi esset, unde sociorum jura et obligationes in quovis casu colligi possent, sed omnia ex solo fortunae eventu penderent, neque innumerae inter socios lites, quibus variis arbitrariis statutis vix occurrere possit, de eo, quid expediat vel minus, non orirentur, cum in nulla fere re homines magis dissentiant. Cum itaque in omnibus societatibus, quae pacto quodam nituntur, id quod, si solam societatem paternam exceperis ¹⁹⁾, ubique obtinere existimaverim, ad tenorem hujus pacti, quod pro uniuscujuscunque indole non potest non diversum esse, semper recurrendum est. Quae si recte se habeant, non satis est ad necessitatem in civitate permanendi evincendam, si vel maxime inductione quadam ostendatur, libertatem emigrandi, quod tamen minime verum est, caeteris societatibus ab hac longe diversis minus convenire, neque ex altera parte e contrario societatum consensu pro libertate emigrandi satis firmiter colligitur. Aliud autem est, si ex natura pacti et societatis in universum hanc vel illam conditionem omnium societati inesse idque veris et immotis juris naturalis rationibus ostendatur.

¹⁹⁾ Societas dominica ad societates necessarias non, ut vulgo fieri solet, referenda videtur, cum haec, si legitima ejus origo quaerenda sit, non immediate ex bello, sed ex pacto quodam vel voluntario vel invito sit derivanda. Alii contra, ne hanc quidem, quam attuli, destinationem in societates voluntarias et necessarias suo quodammodo jure admittunt.

ostendatur, cui quidem argumentandi rationi maximam vim inesse negari haud potest.

§. XI.

Quidquid ex pacti bilateralis natura ad jus emigrandi subditis denegandum colligitur, vanum esse.

Hoc respectu argumentum illud, quod ex indole pacti bilateralis inter imperantem et subditos intercedentis petitur, multo magis rem acu tangere videtur. Inde enim colligunt, si subditis libertas emigrandi competeret, imperanti quoque jure reciproco eos vel infantes finibus civitatis expellere liceret. Huic tamen ipsi argumentationi ita occurri posse crediderim: Quod omnibus et singulis fociis utile esse ostenditur, hoc toti societati non potest non expedire. Ea enim, quae circa omnes partes, ex quibus totum aliquid constat, obtinent, etiam de toto ipso valeant necesse est. Si itaque omnibus et singulis civibus libertas emigrandi profit, idem civitati non prodesse non potest, cum contra si omnibus obfit potestas imperanti ipsos finibus civitatis pro lubitu ejiciendi concessa, idem civitati, hoc est, toti civium complexui obfit oportet. In iis autem casibus, ubi singulorum et totius societatis utilitas ac damnum tam arcte juncta sunt, non duae revera diversae adsunt partes, unde luculentissime patet ea, quae de pactis bilateralibus doceri solent, hic nullo modo applicari posse. Haec omnia eo facilius perspiciuntur, si in memoriam revocetur, hic, ut in tota ista dissertatione, rem ita considerari, quemadmodum pacto unionis se habebat, antequam constitutum erat, quaenam reipublicae forma obtinere debeat.

§. XII.

§. XII. *Sulli emigra del murr et*

Jus emigrandi aditione muneris non amitti.

Num cives eo, quod officio aliquo in civitate funguntur, jus emigrandi amittant, paucis jam videbo. Nulla sane adest ratio, cur existimandum sit, eos, qui singulares reipublicae operas praestant, minoribus quam caeteros cives juribus frui debere, idque ea de causa, ob quam vel majoribus eos gaudere oportebat, nisi juri suo disertis verbis renunciaverint. Facile tamen intelligitur, dimissionem legitimo modo ab imperante esse petendam, licet ab hoc civi culpa vacanti denegari non possit. Nihilominus GROTIUS, WOLFIUS aliique clarissimi viri eos omnes, qui ingenio vel arte excellunt, intra civitatis limites continendos esse jubent, quia emigrationem ex arbitrio imperantis pendere putabant ²⁰). Si hoc verum esset, ejus fors maxime foret deploranda, cui ingenium, infelix donum! natura tribuit, cum jus caeteris civibus concessum huic soli negaretur. Attamen dubitari potest, num illis muneribus, quae ita sunt comparata, ut infigne aliquod civitati damnum inde oriretur, si quae ipsis, qui his muneribus funguntur, concredita sunt negotia, alii civitati cognita fierent, tacita insit conditio nullum munus apud externos accipiendi, quo jus emigrandi, si non plane tolleretur, saltem admodum infringere-
 tur. Sed horum tamen munerum numerus, si quae dantur, foret admodum exiguus, cum vera civitatis arcana pro hodierno rerum statu sint paucissima, imo vel haec brevi-
 ta esse desinant ²¹). Deinde imperantis proprie est subdito, an-

te

²⁰) WOLFIUS §. 405.

²¹) vid. Sur la veritable richesse des états, la balance du commerce, et celle

te, quam hic munus illud adeat, ejusmodi renunciacionem injungere.

Inde, quod subdito officio suo abdicare liceat, non colligendum esse existimaverim, imperanti jus reciprocum competere etiam eum, qui officio bene fungitur, pro lubitu dimittendi. Dimissione enim civibus levis quaedam macula inuritur, si non ex jure civili, quod dimissionem a remotione distinguit, saltem ex vulgari hominum opinione, cum tam subtilis distinctio a vulgo multo minus quam a jureconsultis, qui tamen et ipsi his vocibus saepius promiscue usi sunt, sit expectanda. Hoc hominum judicium eo nomine firmandum, non autem destruendum videtur, quia inde potissimum oritur, quod imperantem non nisi ex justissimis rationibus ita egisse credant ²²). Deinde tali dimissione gravis laesio rei familiari officialis adfertur, quam hic eo minus tolerare potest, cum ipsa ejus muneris, a quo jam

dimit-
celle du pouvoir, diss. qui a été lue dans l'Assemblée publique de l'Académie des sciences et des belles lettres à Berlin le 26 de Janvier 1786. par Mr. Herzberg p. 1-3.

²²) Verba Scabinatus Lipsiensis, officiali alicui de dimissione a domino facta conquerenti olim respondentis, memoratu sunt dignissima: (Da) „dergleichen auf schriftliche Bestellung angenommene Diener ohne redliche „Ursach und ungehörter Dinge ihrer Dienste nicht entsetzt werden können, und die remotio ab officio einem Diener an seinen Ehren und guten Leumuth verkleinerlich; so seyd Ihr den von Schwartzenberg wegen „der ohne satzsame Ursach vorgenommenen Entsetzung Eurer Person von „dem euch vormals aufgetragenen Amte actione injuriarum zu belangen „wohl befugt“ vide J. H. BÖHMERS Exercitationes ad Pandectas Tom. 3us. Göttingae 1748. Exercit. LVII ad lib. XIX Pand. Tit. V de jure principis circa dimissionem ministrorum cap. 2. §. 4.

dimittitur, functio eum impediverit, quo minus aliis negotiis gerendis se idoneum redderet. Saepius quoque uxor, quam ea fiducia duxit, fore, ut munus semper retineat, et liberi miserae istius fortis focii redduntur. Haec autem omnia imperanti minime timenda sunt, si officialis muneri suo renunciaverit. Cum itaque tam diversa sit conditio contrahentium, eorum quoque jura diversa sint oportet. Neque hic notionem *prearii* esse applicandam crediderim, licet hujus sententiae vir, quem venerabundus suspicio, b. BÖHMERS autor sit gravissimus²³). Mihi quidem precarium, si arbitrarias juris Romani sanctiones missas faciamus, jure naturae indoli contractuum onerosorum, (ad quos pactum illud de officio aliquo fungendo haud dubie pertinet) adeo repugnare videtur, ut hoc non, nisi diserte cautum sit, esse intelligendum existimem. Circa ea autem munera, quae ad *beneplacitum* imperantis conferuntur, libera huic de dimissione statuendi libertas relicta videtur, licet plerique in primis Gallici scriptores secus sentiant, cum suo jure imperantes uti non solent²⁴). Quod si exceptio facit, ne liceat; ibi necesse est licere, ubi non est exceptum. Ita quoque olim judicatum esse legimus; imo etiam nostris temporibus in summis imperii tribunalibus eadem praevalet sententia. Causae denique, cur quis munere privandus sit, non ab imperante sunt dijudicandae, sed ut omnis injustitiae suspicio vitetur, ad ordinaria judicia dimittendae²⁵).

§. XIII.

²³) cap. 2. §. 17 et seqq. hujus Exerc. ad Pand.

²⁴) vide §§ 2 et 3. cap. 2^{di} Exercit. supra laudatae, ubi clarissimus BÖHMERS varias doctorum virorum sententias studiose collegit.

²⁵) De officiis ad tempus definitum concessis nihil dixi, cum, quod circa ea obtineat, satis sit expeditum.

§. XIII.
*Neque hoc jus acceptis stipendiis aliisve imperantis beneficiis
 extinguatur.*
 Neque qui stipendiis aliisve peculiaribus civitatis beneficiis fruuntur, huic, quemadmodum quibusdam visum est, ita obstringuntur, ut libertatis emigrandi jacturam faciant. Patendum quidem est, eum minus honeste agere, qui talibus devinctus beneficiis aliis potius civitatibus quam patriae operam suam praestat, sed ad hanc obligationem mere intimam implendam cogi non potest, si beneficia illa dicenda sunt. In Württembergia, ubi stipendia non, nisi ea adjecta conditione, ut qui his fruatur, munus, quod illi in patria defertur, detrectare nequeat, dari solent, contractus beneficis in onerosum commutatur.

Caput secundum.

§. XIV.
*Renunciationem juris emigrandi non quidem per se esse nullam,
 sed mitius esse interpretandam.*

Hucusque investigavimus, quid in civitate circa civium emigrationem fas esse videatur, quatenus id ex ipsa pacti primarii indole constare possit. Quid autem dicendum est *ubi juri emigrandi disertis verbis renunciaverint homines?* Non quidem crediderim, hanc renunciationem, quemadmodum clarissimo CELLA visum est, ipso jure esse nullam, cum ne ipsa quidem servitus juri naturali plane repugnet. Attamen talis renunciatio non ita interpretanda est, quasi civibus emigrare non liceat, ubi ea jura, quae pacto

pacto unionis reservata intelliguntur, violantur, sed modo hanc vim habet eos, si jura ipsorum serventur, ad id teneri, ut in civitate permaneant. Si enim aliter intelligenda esset, ad illam absurditatem delaberemur, quasi multitudo hominum regnum despoticum societati civili, servitutem libertati, hoc est, infelicitatem felicitati præferendam esse existimaverit. Deinde facile intelligitur, præsumtionem hic semper pro subdito militare, hanc emigrandi resignationem non factam esse, adeo ut in imperantem onus probandi rejiciendum sit. Egregie jus Romanum: "Quotiens dubia interpretatio libertatis est, secundum libertatem erit respondendum ²⁶⁾". Quod si verum est, hæc quaestio fere vana redditur, cum nemo, quod sciam, probaverit, hanc renunciationem unquam factam esse.

§. XV.

Hac majorum resignatione posteros non teneri.

Quae cum ita sint, vix opus videri possit, ut inquiretur, an hac resignatione posteri eorum quoque teneantur? Attamen hanc disquisitionem non omittendam putavi, cum illa luculenter simul ostendat, libertatem emigrandi posteris nihilominus competere, si vel maxime iis, quas hucusque attuli, rationibus non efficiatur, hanc libertatem sibi homines ipso pacto sociali stipulatos esse. Cum fuerint, qui hoc ipsum ob amplitudinem patriae potestatis negaverint, de hac ejusque vero fundamento paucis erit dispiciendum. Olim quidem jureconfulti, auctoritate juris Romani moti, parentibus saltem idem jus in liberos, ac in servos,

tribue-

²⁶⁾ L. 20. D. de regulis Juris.

tribuebant; sed haec nostris temporibus debetur gloria, longe plurimos jam talem tantamque potestatem, inhumanam et legibus naturae quam maxime adversam existimare. Sunt tamen, qui patriam potestatem adhuc ex generatione derivent²⁷⁾. Hi quidem mihi ἀναβασιν εἰς ἄλλο γένος committere videntur, dum liberos, quasi aliam quamcunque rem, vi juris ex laboribus et operis acquirendi ad parentes pertinere affirmant. Ego certe non video quomodo illud, quod de rebus non animatis valet, ad homines transferri possit. Bene quoque Lactantius: „qui filium generat, non habet potestatem ut concipiatur, ut nascatur, ut vivat. Unde apparet non esse illum patrem, sed tantummodo generandi ministrum²⁸⁾.” Si revera liberi a parentibus generatione acquirerentur, omnes homines praeter primos istos, ex quibus totum genus humanum ortum est, natura essent servi; quod si statuatur, totum jus naturae funditus everti videtur. Neque inde quod alimenta liberis praebent parentes, et animum corpusque eorum curant, alia quam interna liberorum nasci potest obligatio. Hoc unum itaque modo relinquitur, ut potestatem illam, quam patriam vocant, ex obligatione hos educandi deducamus, adeoque parentibus non in suum, sed liberorum commodum, datam esse. Cum educandi obligatio non soli patri sit imposta, sed utrisque parentibus communis, haec in liberos potestas iisdem quoque communis sit oportet. Deinde facile intelli-

²⁷⁾ Hanc sententiam etiam amplectitur clarissimus ULRICH in ejus *Initiis philosoph. iusti* §. 443; hinc quoque §. 478 posteris emigrandi libertatem denegat.

²⁸⁾ *Div. Instit. lib. V. cap. 18.*

telligitur, hoc jus latius patere non posse, quam ad hunc finem obtinendum requiratur, adeoque modicae coercitionis jure fere contineri, et denique, eo fine cessante, ipsam quoque patriam potestatem una cessare, ex quo nimirum liberi ad eam usque maturitatem pervenerint, ut suas ipsi actiones regere valeant ²⁹⁾. Quae cum ita sint, parentibus nullum omnino in illas liberorum actiones, quas hi, postquam e potestate parentum excefferint, suscipiunt, jus externum esse, quis non videt? unde tuto colligi potest liberos parentum pactis non teneri, sed iis eatenus nullam vim inesse, nisi liber horum consensus, isque vel expressus vel saltem tacitus, accedat.

§. XVI.

Neque eos ad perpetuam in civitate commorationem eo obligari, quod beneficiis ipsi devicti sunt.

At forte aliquis affirmaverit, liberos quidem non ob patriam potestatem, sed potius ob obligationem accepta beneficia remunerandi ad civitatem pertinere, cum haec ipsorum propemodum mater alumna sit, sine qua ne vitam quidem sustinuissent, nec omnia, quibus gavisi sunt, bona habuissent. Ut haec satis speciosa argumentatio refellatur, primum monebo: haec omnia
mini-

²⁹⁾ vid. PUFFENDORF de jure naturae et gentium l. 6. c. 2. *Feders Lehrbuch der praktischen Philosophie 2te Aufl. Göttingen 1771. Rechts der Natur* §. 47. Alia quidem quoque pro immani ista patria potestate evincenda afferri solent argumenta, sed cum haec nullius momenti sint, ea silentio transgressus sum. Bene etiam haec refellerunt: IO. BALTH. WERNHERYS in Diss. juris naturalis Vitembergae 1721. 8. et quidem Diss. 8va p. 228-261 et SCHOTTIVS in 3a Diss. Appendicis T. 2. pag. 370-399.

minime singularia esse imperantis beneficia, sed illum ad haec ipsa praestanda membris civitatis pacto sociali primaevò se obstrinxisse, adeoque officiorum non sine culpa violandorum loco haec esse reputanda. Deinde impuberes, quod quoque jure civili naturae praeceptis convenienter cautum est, alios quidem sibi, non se aliis obstringere possunt. Huc accedit, quod ex omnibus, quae in civitate perceperunt, bonis nulla ipsis alia, quam ad gratitudinem nascatur obligatio, quae tantum est interna et ab omni vi externa immunis. Attamen imperans bona tempore impubertatis percepta non magis repetere potest, quam is, qui beneficium dedit ab eo, qui accepit. Multae quidem obligationes internae, ut commodo civitatis consulatur, ad externas ab imperante recte evehuntur; sed id hic fieri non posse, ubi de jure e civitate discedendi ejus, qui nulla ratione tanquam civis spectari potest, agatur, unusquisque facile perspicit.

§. XVII.

Liberum consensum ipsorum posterorum vel expressum vel tacitum ad naturalem emigrandi libertatem illis adimendam omnino requiri.

Cum ex legibus naturalibus certum tempus non constet, quo omnes homines eam animi corporisque maturitatem attingunt, quae ad se ipsum regendum requiritur, sed hoc in quovis casu ex peculiaribus circumstantiis definiendum sit, id quod tamen in civitate nullo modo obtinere potest, hic terminus aliquis praefigi debet, quo plerique homines sapere solent, ut eo a patria potestate solvantur. Idem quoque erit terminus, a quo ad aliquod usque tempus statutum, juvenibus leges civitatis ejusque conditionem explorare licebit, quod Athenis servatum esse
 autor

autor est Plato. Hoc spatio praeterlapso, qui in civitate permanet, tacite declarasse (jure existimatur, illum statutis majorum acquiescere, adeoque etiam ea resignatione, quam factam esse finxi, juris e patria emigrandi. Forte tamen rectius statuitur, libertatem emigrandi his non eripi, donec facto aliquo se de singularibus civium beneficiis participare velle declaraverint v. c. munus in civitate ambiendo, vel aliquod vitae genus eligendo, quod extraneis ex civitatis legibus non permittitur ³⁰).

Ex his omnibus manifestum est, ut, si etiam statuatur, civibus licentiam emigrandi non esse tribuendam, hoc certeandum sit, posteris eorum nihilominus liberum e civitate exitum denegari nullo modo posse.

Caput tertium.

§. XVIII.

Reservationem revocandi domum concessioni emigrationis ab imperante saepius adjectam absurditate non carere.

Ad ultimam jam hujus dissertationis partem progredior, qua explanandum est, *quid de variis illis, quibus emigratio vel concessa circumscribi solet, limitibus judicandum sit?* Cives, qui emigrant, omnibus, quibus eousque tenebantur, vinculis quoad patriam solvi, vel ex ipsa emigrationis notione patere videtur. Nemo in duabus civitatibus simul revera civis esse potest, cum, ha-

rum

³⁰) vid. *Feders Natur-Recht* §. 60. et in ejusd. *Grundlehren zur Kenntniss des menschlichen Willens* §. 43. Adde: IO. NATH. SCHVLLE de *solobole civium ab unione libera* Lips. 1758. 8.

rum praeceptis sibi contradicentibus, nulla adsit ratio, cur alteri potius civitati, quam alteri pareatur. Hoc tamen de civibus honorariis non valet, cum hi proprie non sint cives, quippe qui omnibus verorum civium obligationibus penitus eximantur. Reservatio itaque revocandi domum etiam hoc habet absurditatis, quamvis saepius licentiae emigrandi ab imperante concessae adjiciatur, ut eodem tempore et data et negata videatur emigrandi libertas. Libertas enim, quae modo precaria est, non libertas est dicenda. Si porro revera necesse esset, ut omnis civis libertate emigrandi in republica privaretur, ille, cui ista reservatione addita ab imperante emigrare permetteretur, alibi in civium numerum referri non posset, cum huic obligationi se subjicere nequiret, nisi fidem, quam discedens dedisset, frangere vellet. Hinc sequitur, ut vel ii ipsi, qui libertatem emigrandi negant, hanc reservationem, si sibi consent, statuere non possint. Quae cum ita sint, facile intelligitur, *mandatis avocatoriis* nullam omnino vim esse tribuendam.

§. XIX.

Bella ob civium emigrantium receptionem illata esse injusta, nisi ea, quae emigrantes recepit, civitas jure suo jam antea pacto aliquo cessisset.

Cum cives jure suo ex alia civitate in aliam se conferant, imperans eos vi persequi non potest, multo minus tanquam delicti reos punire, nec denique hac de causa civitatibus, quae eos receperunt, bellum, quemadmodum nihilominus saepius factum est, inferre. Hoc ipsum tamen, pactis cum aliis civitatibus initis, legitimo modo impediri potest, quae si frangantur, gens laesa

laesa justam habebit causam gentem laedentem bello persequen-
di³¹⁾. Haec tamen pacta minus decora videntur, imo potius emi-
grandi cupiditatem fovent, cum subditi inde intelligant, ipsum im-
perantem perspicere, quod alibi melius quam in patria vivatur.

§. XX.

*Bona quidem haereditaria, non autem alia civibus emigrantibus ab
imperante eripi posse.*

Ea quaestio, quid circa civium emigrantium bona statuendum
sit, mihi satis impedita videtur. Cum non sit, quod dubitemus,
facultatem civium de bonis suis legitimo modo acquisitis dispo-
nendi haud fecus ac jus emigrandi a potestate imperantis pacto
sociali esse exemptam, forte videri possit, imperanti nunquam li-
cere, cives emigrantes bonis aut omnino aut ex parte privare.
Alia autem sese exhibet rerum facies, si diversos modos, quibus
bona in civitate acquiruntur, attentius consideremus. Omnia
civium bona, si res in universon spectetur, aut haereditate, aut
propriis laboribus, aut denique fortuna sunt comparata. Quid
de singulis hoc respectu valeat, paucis jam videndum est. Om-
nes illae, quae hactenus excogitatae sunt, rationes, ut evinca-
tur successionem ab intestato et facultatem testandi juris esse na-
turalis, non satis firmas et solidas videntur, si illud forte exce-
peris,

³¹⁾ Cum tanta olim esset civis Romani dignitas, ut exteri homines, qui
civitate Romana donabantur, clarissimo praemio se ornatos putarent, hoc
quaedam exterae gentes egerunt, ut, foederibus cum populo Romano
initis, omnis suis hominibus civitatem Romanam obtinendi spes interci-
deretur, ne ab optimis civibus defererentur. Cic. pro Balbo c. 14. "At
enim quaedam foedera exstant, ut Germanorum, Insubrium, Helve-
tiorum, Japidum, nonnullorum item ex Gallia barbarorum, quorum
in foederibus exceptum est, ne quis eorum a nobis civis recipiatur."
Alia etiam recentiora exempla talium foederum attulit Bodinus l. 1. c. 6.

peris, quod alimenta liberis adhuc impuberibus ex bonis a parentibus relicta debeantur; quae tamen omnia ostendere superfedeo, ne actum agam, neque ultra limites hujus dissertationis temere vagari videar³²⁾. Hanc potius mihi peto veniam, inde tanquam ex firmis et inconcussis rationibus colligendi, solius imperantis esse definire, quo ordine sit succedendum, et quam late potestas de bonis in eventum mortis disponendi patere debeat. Quod si autem haereditatem solo civitatis beneficio acquirant subditi, nonne imperanti licebit onerosam aliquam conditionem his injungere, sub qua tantum sola haereditas adiri possit³³⁾? Si haec recte se habent, non video, curni imperans illam conditionem haereditatis aditioni adicere possit, vi cujus civi salvis bonis haereditate acquisitis emigrare non liceat. Equidem lubens fateor tales conditiones iniquitatem aliquam redolere, adeoque ex civitate bene morata profus esse eliminandas, sed inde colligere non licet, eas rationibus juris civitatis repugnare, quippe quod in solis juribus perfectis enucleandis versatur. Haec quidem ratio omnia bona subditorum haereditario jure acquisita spectat, sed ad caetera, quae propria industria aut fortuna comparata sunt, nullo modo est applicanda. Talibus bonis imperanti cives emigrantes privare non licet, cum vix ac ne vix quidem ulla excoGITARI possit ratio pacto sociali non adversa, qua hoc defendi queat, si non simul ostendi possit, ipsos cives quasi jure proprietatis esse

³²⁾ Egregie hanc diu agitatum quaestionem de successione ab intestato tractavit ULRICh in *Initiis philof. just.* §. 305 et §§. 465-470, ubi quoque omnia pro naturali ista successione allata argumenta penitus refutat.

³³⁾ In quibusdam civitatibus ab omnibus haeredibus lineae collateralis census aliquis pro aditione haereditatis imperanti solvitur, quod tributorum genus defendit *Büsch Abb. von den Geldumlaut. I. Theil* S. 409.

esse civitatis. Num hic emigrationis census inde forte derivandus est, quod respublica media his bonis comparandis idonea suppeditaverit? At vero hic ipse erat finis societatis civilis, ut talibus mediis, quibus tam arcta hominum conjunctio ansam praebebat, quidquid bonorum civibus comparandi ab imperante impense prospiceretur. Praeterea haec cura, quam imperans impendere debet, ut hoc officium, uti par est, impleat, tributis in majus auctis a subditis praestandis fatis largiter jam compensatur, adeo, ut nulla omnino adsit ratio, cur denuo sit remuneranda. MÖSERVS, vir, si quis unquam, ingeniosissimus, non prorsus ab ea abhorret sententia, imperantem sibi bona immobilia emigrantium, non autem ea, quae moveri possunt, jure suo vindicare posse, cum civis officio patriam adversus hostes defendendi emigrando satisfacere detrectet³⁴). Huic tamen argumentationi, pace clarissimi viri, non ita multum roboris inesse crediderim, cum illa ratione niti videatur, cives pacto sociali ad id obstringi, ut in civitate perdurent, cum caeteroquin emigrans officium civitatem defendendi violari dici non possit, quod ipsum tamen non fatis recte se habere, hac commentatiuncula evincere studui.

Hoc quoque obiter monere forte non abs re erit, *gabellam emigrationis*, sive tributum illud, quod emigrantibus, qui bona exportant, imponi solet, licet jure naturali aliqua ex parte defendi possit, politicis rationibus minime convenire. Vix enim ulla inveniri potest justa proportio, qua damnum, quod civitati emigrando adfertur, compensetur. Multo majus omnino est damnum, quod reipublicae inde nascitur, si is, qui magnae officinae aut commercio praeest, et hac ratione multis hominibus media victum sibi comparandi suppeditat, licet non ita magna ei sit pecuniae vis, civitatem relinquat, quam si ille, qui solis usuris amplae rei familiaris sustentatus lautam agit vitam, sedem

³⁴) Möser's patriot. Phantas. I Th. S. 107. "In den strengsten Ländern geht der Zwang nicht weiter, als den irrenlosen Unterthanen ihr Erbtheil zu entziehen. Eigentlich sollte diese Entziehung sich nur auf das Erbtheil an liegenden Gründen erstrecken, welches der Besitzer unter der Bedingung empfangen hat, es zu vertheidigen oder zu verlassen."

dem bonorum alio transferat; nihilominus ab illo cive multo minus, quam ab hoc, qui civitatis minus intererat, exigi solet. Deinde hoc onere peregrini a sedibus in tali civitate figendis arceantur necesse est. Denique inventis litteris cambialibus aliisque rem familiarem alio transvehendi rationibus, praeterquam quod pecuniam paratam exportare opus sit, innumerae fraudes nullo modo vitari possunt. His de causis tale tributum in Hollandia et fere etiam in civitate Hamburgensi non exigitur³⁵⁾. Inter quasdam civitates peculiariter conventum est, ut ab isto tributo illi liberentur, qui ex patria ad illam civitatem, cum qua hoc pactum initum est, se conferunt.

Quae autem cuique imperanti maxime commendanda sunt emigrationem impediendi media, quippe quae cum juris naturalis praeceptis omnino conspirent, haec fere sunt: imperium clemens et commodo totius civitatis maxime prospiciens, delatio officiorum ad eos, quibus curae cordique est, aliorum non suae utilitati consulere, liberum religionis, civitati non perniciosae, exercitium sine partium studio concessum, sollicita cura, ut media, quibus comparari possunt, quae ad vitam satis commode transigendam requiruntur, unicuique, quoad fieri potest, abundant, et denique cautio adhibenda, ne numerus eorum, qui certo vitae generi se addicunt, supra modum augeatur. His mediis quoque addi possunt: commoratio iis exteris negata, qui cives praemiis alio allicere conantur, poena gravis iis civibus proposita, qui forte ipsi ejusmodi conatibus opem ferre non erubescunt, et denique minae additae nunquam futurum, ut qui e civitate nihilominus emigrent, denuo in civitatem recipiantur, quamvis his profecto in republica, quae bene regitur, non opus erit.

³⁵⁾ vid. *Büsch Abh. von dem Geldsumlauf* p. 51. sed imprimis p. 411-413 ubi hac de re vir acutissimus subtiliter disputat. Idem illic memorat tributum etiam ab iis civibus in quibusdam Germaniae rebus publicis exigi, qui ex alia urbe in aliam ejusdem territorii se conferunt, et illud quoque tanquam pristinae servitutis reliquias, postulari ab iis liberis hominibus, qui ex fundo nobili in alium, imo ipsius principis, secedunt. Haec comparari merentur cum iis, quae habentur in Glossario Du Cangeano sub voce: *Albanus*, sive *Albinus* et *Albinagium*.





Göppingen, Diss., 1786+87




5b.

f







1787,6
1787,6
17

1787,6
No. 1094.

1787,6
17

IOANNES FRIDERICVS GVILIELMVS SCHLEGEL
HAFNIENSIS

DE EO, QVOD IVSTVM EST
CIRCA EMIGRATIONEM CIVIVM.

COMMENTATIO

QVAM

IN CONCERTATIONE CIVIVM
ACADEMIAE GEORGIAE AVGVSTAE

IV. IVNII MDCCLXXXVII.

AD PRAEMIVM ACCESSISSE CENSVIT

ORDO IVRECONSVLTORVM

Fas mihi non habiles et fas tibi linquere Colchos.

Valerius Flaccus Argonautic. l. 7. v. 232 edit. Harlesf.

GOETTINGAE,
Typis FRIDER. ANDR. ROSENBVSCH.
ACAD. TYPOGR.